



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singulos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

Conceptio B. M. V. 8. Decembris.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

illud Davidis exemplo se tuenti inclamans, Securus es errantem, sequere pœnitentem. Vidit igitur tunc orbis caput suum ante pedes Episcopi jacere, numquam ita extollendum, nisi ita demisset sese. Porrò AMBROSIVS obsessos ab orco liberati, infantem demortuum vitæ reddidit, Divorum multorum ossa è tenebris in lucem gloriosâ pompâ transtulit, ipsius verò calumniatores morte subitâ vindex Deus abstulit. Moriturum cœlesti voce excitus Honoratus Epif. sacro pane refecit, morienti verò blandum arridere Christus visus est, arrisurus etiam nobis in morte, si flentes in vitâ viderit. *Ex Paulino.*

Cum diluculo surgimus, debemus, priusquam procedamus ex cubiculo, gratias agere Salvatori, & ante omnes actus seculi, actus habere pietatis, qui nos quiescentes & dormientes in lectulis custodivit. Ut enim ego securus dormiam, ille vigilat. S. Ambr. serm. 43.

CONCEPTIO B. M. V. 8. Decembris.

Speculum sine maculâ ostendimus, VIRGINEM Conceptam. Festi hujus diei originem, quæ sub annum cœpit millesimum ac septuagesimum, sic habe. V Vilhelmo Nortmannorum Duce Angliâ potiente, missus ab hoc Helsingus Præsul est, qui hostium numerum ac robur exploraret. Dum facit hic imperata, fortè per eos dies gravi tempestate jactatur. Nullâ aliunde ope affulgente, Stellam maris MARIAM vocat. Adest pro hâc è cælo Nicolaus, spondet manum naufrago, si VIRGINIS Conceptæ diem habiturum se festum spondeat. Illico convenitur. Subsedit mare, enatat & vota Helsingus Sospitatrici exsolvit. Atque hæc initia ampliora D. Anselmus fecit : amplissimis

600 VITÆ SANCTORVM. 8. Dec.
mis deinde Indulgentiis ornavit Sixtus IV. Pont.
Max. in VIII. continuos dies, quos etiam ipsos lu-
culento miraculo Numen probavit. Etenim Ni-
colaum Pratensem memorant, ad icona immac-
ulatæ VIRGINIS rosam cum his precibus depo-
fuisse, vellet juberet, si gratum ei esset, octo dies
memoriam Conceptionis suæ agi, numquam eo
anno rosa illa marcesceret. Floruit semper, & cum
rosâ multorum etiamnum in hanc diem pietas
flore, quam ipsa ædium limina in Hispaniâ his
verbis loquuntur: *Benedictum sit S. mysterium im-
maculata Conceptionis MARIÆ.* Quid? quod aliter
sentientes Doctores rectius nuper ab Hispanis
infantibus erudiri vidimus. Se certè accuset, qui
maculam hodie videt; suam dicat. Non habet
purum, sed ostendit maculas, speculum. *Ex Baron.
& Spinello.*

*Opem intercessionis MARIÆ poscamus singuli, posca-
mus omnes: oremus ut sit protectrix in prosperis, submo-
veat noxia, suggerat profutura, admittat preces suppli-
cantium intra sacraria divinitatis, nobisq; impetret
consortium suæ beatitudinis. S. Hildephon. serm. 6.
de Assumpt. B. M. V.*

S. SYRUS EPISC. 9. Decembris.

SACRA nostra SYRVS à D. Hermagorâ est edo-
ctus, ipse Papienses docuit, multum eâ in re
S. Juventii operâ usus, quem socium expeditionis
Hermagoras addiderat, cuique à morte SYRVS
noster medius Martyres inter triumphare est vi-
sus. Veronâ transeunti, ut de fide nostrâ dicenti
fidem haberent incolæ, testem è tumulo mor-
tuum excivit, & cum primùm Papiam est ingres-
sus, senis civibus gravissimè decumbentibus salu-
tem